

ORATIONES

IOSEPHI RICCI BRIXIANI

Clerici Regularis Congregationis

Somaschæ

INClytis

BRIXIANI SENATVS

PATRICIIS D.

SUPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS,



VENETIIS, M DC XLV.

Apud Paulum Balleonium.

Cælestis Larua

SIVE D E B. HIERONYMO AEMILIANO

Congregationis Somaschæ Institutore.

ORATIO DVODECIMA.

666666 Vltorum querelas molestam ho-
diernæ orationis importunita-
tem tacito murmure fugillan-
tium mihi audire videor , Audi-
tores , quod his Dionysij, ferijs,
quibus ad omnem voluptatem licentia laxatis
habenis, thyasis, duntaxat, choreis, & cantibus
mortales addicti latuati tota vrbe vulant Or-
gia ; his tetricis rebus audiendis , vos subito
frontem contrahere, oraque obducere seuerio-
ri nota parumper seductos à voluptate com-
pellam . Quid importunis vocibus , (muffitant
fortasse isti) nostris gaudijs obstrepis, garrule
Adolescens ? quid Bacchanalium hilatia die-
rum , seuera oratione incommodè admodum
interpellas ? Nemo saltanti togam inducit, ne-
mo floralia veltit . An vides vt fora , theatra,
compita, viæ lætiillanis clamoribus, fidum can-
tibus ferueant viuuntse? vt omnes Vrbis regio-
nes festiuissimas laruas ebulliant? bacchentur
quaquauersum personati greges? differ, si sa-

pis,

ORATIO DVODECIMA. 347

pis, in alios opportuniores dies istam tuam ja-
ctationem eloquentiae ; æquiores præbent au-
res accita concio, si tantisper, dum istæ insanæ
desideant , meliori consilio, tardaueris . Sed
tantillum, amabo, hæ tacitæ ponant obloquen-
tium querimoniam. Benè habet, Auditores, nihil
moror geniales dies, non inter pello solatia, nec
vestris voluptatibus intercedo . Cælestem per
sonam vobis in medium spectandam adduco:
affero religiosam Laruam , quandoquidem in-
seruendum est temporis; non quæ insanis vula-
tibus tota vrbe cerita discurrat; aut Lymphata
mimicis gestibus , scurrilibus nugis ad puer-
rum terriculamenta furit : sed quæ humanæ
posthabito authoramento militiae, casside, vmbone,
lorica , & lato clavo valere iussis, despe-
cta nobilitatis, & illustrium natalium prærogatiua,
peronata , lacernosa , erratica in nosoco-
mijs non erubescit agere vespillonem , incede-
re inter puerorum choros sacros cantus eden-
tium ipsa Phonasco . Quin etiam spectacula
tragici dramatis exhibebit ; ne quid ad ve-
stram voluptatem his festiis temporibus desit.
Enyt vestris desiderijs indulgeo, vt vestra sola-
tia continuem . Adeste igitur animis , Auditores,
fauite linguis , dum in beatissimo Parente
nostrō Hieronymo Aemiliano piè personato
egregiæ virtutis , cælestis pietatis, diuini amoris
miranda spectacula in scenam yobis intuenda

pro-

produco. Sed me tot illustria Patris facinora, vel nouitate inaudita, vel magnitudine maxima, vel raritate ipsa miranda in vnius orationis angustijs audentem includere Timantis tabulae pusium circino gigantis portentosum pedem metientem putate: vt enim ille ex vnius magnitudine pedis, & symmetria gigantei corporis proceræ molis voluit intuentem coniectare vastitatem; sic ex ijs paucis, quæ hac breui oratione præstringam, cupio vos intelligere, quæ narratione complecti, exornatione prosœqui, & graphicè exprimere non potero, ea esse omnium oratione, & commendatione maiora.

Bene arbitror Cælestem Laruam, ac religiosè personatum Hieronymum appellauit, Auditores, cum ex amplissimi ordinis dite patricio, repente mendicus, ex copiarum, arciumque duce, ciurata militia, religiosè togatus, ex pugnacissimo bellatore, a cerrimoque vindice iniuriarum patientissimus contumeliat, ex præferuido, contumacique ingenio lenior moderatione ipsa prodierit. Quid tantam exarmauit audaciam, dissimilemque sui in alios mores transcripsit? illud ipsum cælestè fulmen, quod Saulum auitæ desertoribus legis, vincula, cædes, ac ultima minitantem humi reuolutum prostrauit: Hieronymo etiam altius adactum, catenæ scilicet, compedes, pendentia collo marmoræ, iam iam hæsurus ingulo gladius illius

præ-

præduræ mentis indomitum mollijt adamantem. Auexit illum inuenilis feruor in arma ea luctuosissima belli procella, qua toto Christiano orbe in Venetos conspirante, penè obruta Respublica trepidauit. Caput ænea casside in cono nutantibus iubis, pectus ferreo thorace, appenso lateri gladio prodit armatus: minaci fulgurat vultu, toruo certamina spirat obtutu, toto ore militaris feritas micat. Erumpentibus in Carnos ex Alpibus Iulijs Germanorum copijs se se firmius arce, cui præsidebat Patrum iusfu, munimentum obiecit: primique in illum barbarorum impetus turbo, ac Germanici belli procella sæuior effunditur. Iam tormentis murorum decusa loricæ, perpetuoque missilium pulsu, arx munimento nudata: nihil Hieronymum terret: pluribus locis cuniculorum in arcto eluctantium flamarum violentia, mœnia à stirpe reuulsa: impavidum, sufficien temque periculo nihil ducis animum mouent: debilitati vulneribus, mulctati membris militum plurimi, minor in dies numerus propugnantium: nullam idcirco spem deditiois barbaris facit.

*Saxorum validis, ut libet, iæibus,
Tormentisque potes tundere mania,
Miles, nam latitans flamma cuniculis
Accenso rapidè sulphure subruet*

Difru-

*Disruptis lapidum nexibus arcium
Fundamenta: Ducas non tamen icies
Iactu missilium robora pectoris:
Non tortis animum sulphureis pilis
Terrebis: trifidi non via fulminis,
Non unde pelagi flatibus inciti
Turbabunt: rabies non fera tigridis
Hyrcanae, libycus non fremitu leo:
Hostilis farias negligit impetus.*

Audiatis quām bellē Hieronymus strenuum ducem, ac fortissimum egerit bellatorem? nunc omnium mortaliū miserrimū, exarmatum, interiori tātū amiculō horridulum in scenam prodeūtē videte. Irrumpit tandem multitudine superātē Germānūs, acriori impressione repetita per moenīū tuinas in arcem: vt promiscuē in omnes militaris impotentia grassatur; ita vniū ducis infensor virtuti in illum erudelius tabies hostilis effebuit. Sed parcite, milites quæso, ferro vincere ducem, incesere probris, proscindere contumelijs, nō nisi ab ultima barbarie in suprema copiarum capita legimus desenitum. Etiam in hoste bellicā veneratio virtutis iratos victorum animos afficit.

Sed nihil proficiunt apud barbaros preces. Abreptus protinus immāni catherarum, saxe que collo appensi grauatus pondere profundi pedore carceris, ac tenebrarum horrore damnatur. Qualis fera sueta olim suis terrere rugitibus

tibus sylvas, nunc damnata theatro, arenā clausa, intentata venabula, cauearumq; frēmitum pauet; talis Hieronymus aliorum quondam terror, se mox in aliquo ferali pegmate scissis ceruicibus, aut fracto gutture tragicī dramatis se absoluturū catastrophē pertimescit. Quid hic expectatis, Auditores? vt in productū stricta securi lege lictor agat? vel admota quæstione diris cruciatibus lancinetur? non sic ab vlua palustri, Minturnensique cœno ritualis sequitur deuotus ad consulares fasces se se Marius explicuit; nec ita semina ex altius subacto solo in calamum virentem exurgunt; vt Hieronymus ex illius teterimi squalore carceris ad meliorem fortunam, & frugēm lātiorem prouentum latus emersit. Quippe illum in unum solum arcuante saxe, veluti adducto neruo, maiori usū in sidera precum tela contorserat; quibus Numinis iras acerbiora fulmina molientis exciperet, infensumque cœlum potentius, ac aueros Superos expugnaret. Immo claves effuse cedere lachrymæ, aut feruida suspiria conflarunt, quibus custodiz vectibus reseratis, solutisque nexibus vinculorum, ex illa horribili nocte feliciorem in scena personam acturus erumperet. Ita sanè, exiluit è Tulliano illo, ferratos Virgine pandente postes: accurrerat enim cum prætorianis suis Superum Imperatrix è cœlo accita vocalibus lachrymis suo Heroi latura

tura suppetias. Vincula fracta dissiliunt, vbi
orbis Liberoris Mater affulget: per armatas
hostium stationes, eadem duce, visus cœlestis
fulgore luminis vigilum hebetante, se se in tu-
tum barbarorum elusa fœnitia proripuit. Nimi-
rum.

*Sic sol hesperijs occidit vndis
Noto sed subito tramite currum
Conuertit solitos rursus ad ortus:
Nudatur proprijs frondibus arbor;
Vrunt cum rigidæ frigora brumæ,
Astringuntque dies arua niuales,
Et sylvas glacie: sed decus aruis,
Et sylvis redeunt rursus honores.
Antiquos cupiunt quæque recursus:
Et grato reditu singula gaudent.*

Penè minantes ipsius supra ceruicem radia-
se gladios horruistis, Auditores, mox ad impe-
ratoria paludamenta, triumphalesque trabeas,
velut à funere, & rogo relato, cœlo vindice
plaudetis. Nam si tyroni parum feliciter pri-
ma militia rudimenta cesserunt; si bellicas ar-
tes tum primum fortiter auspicantem fortuna
destituit; in alio digniori pugna, bellique ge-
nere, vbique victori latissimis vocibus, accla-
mabitur triumphanti: Ad huius siquidem diu-
ni belli disciplinas Hieronymum cœlestis Pallas

eru-

erudit; non quæ Vulcania ictu securis è fali.
Numinis scisso capite repente armata profluit;
sed quæ æternam sapientiam fœcunda Summi
Parentis genitam mente mortalitati parturij.
Quos enim ex Virginis illis alloquijs hausit di-
uinus spiritus cœlestis affiliatus, qui conceptam
iam pectore diuini amoris flammarum immen-
sa ventilarent incendia charitatis? qui stimuli
ad magnos pietatis conatus, quæ faces admo-
ta ex Virgineo illo, & officioso contactu? Præ-
teritæ penitentia, horret scelerum labes, me-
liora, sanctiora animo voluit; alias sibi ineun-
das purioris vita rationes, aliud nouę militię ty-
rocinium instituendum putat; & quod in ho-
stes bellum pro patria salute susceperebat, mina-
tur pro sua acerbissimum dæmoni, & vitijs om-
nibus illaturum authoratus æternum Christi
miles. Quocirca non segnior in posterum
diuinis in castris bellator pugnat, quam Martis
acie certauerat ductor; immo ex prefecto, pri-
uatoque duce paludatus Imperator in infernos
hostes alios vehementius accedit ad pugnam;
quam quandam cessantes humani triumphi in-
uitarat ad lauream. Sed priusquam in hostem
inferas signa, Hieronyme, suspende liberatrici
Virgini germanicæ feritatis exuuias; nec tam
votiva spolia fœnitiae, quam tenaces vitiorum
nexus Mariani delubri sige parieti. Sic est a-
etum, Auditores, noxio criminum, & sarcina-

Z rum

rum pondere expeditus vadit audacter in arma,
spectante celo, mirantibus beatarum Mentium
turmis; non ferrea pectus lorica, sed triplici ære
circa præcordia armatus, & memorabili planè
tanta militæ rudimento, pannosus, obsoletiore
lacerna, pingui, vulgarique amiculo. Præto-
rianas squalentium fame, nuditate, inopia pue-
rorum cohortes, pauperum clasæ, & inopum
kopias adorhat in tenebrarum principem; non
ignarus illum nihil æquè pertimescere, quâm
huiusmodi stipatum milite Duce: sed verius
in fidera, quæ non nisi hoc militum genere co-
gnouerat expugnari. Ditia aperit ærraria, ex
suo locuplete amamentario profert omnes bel-
licos apparatus, aulæ, stragula, perizomata,
omnem pretiosam suppellestilem distrahit; vt
ex ijs stipendia, vestes suo pauperi militi soluat.
Et ne quid optimi Imperatoris muneri desit;
erigit pietatis propugnacula, excitat religionis
arcæ; virtutum castra metatur, Xenodochia,
Nosocomia condit, sodalitia probitatis, & con-
clavia egentium puerorum instituit: vt imposi-
ta inimicis cernicibus iuga frenent nouis rebus
studentium audaciam. Tota vrbe vexillo cru-
cis præunite, procedant mendica puerorum le-
giones; cogente ordines Imperatore Hiero-
nymo, bini longa serie euntes cœlestè bellicum
in via, in scelera canunt. Sed quemadmodum
in Æthiæ caminis nequeunt incendia semper
in-

inclusa, nec Vesuvii cæuernis, aut Lypareis for-
nacibus contineri; quin aliquando ex illis car-
ceribus, quâ dato aditu impetu facto, se se exe-
rant, & in apertum erumpant; sic illi diuini
amoris æstus, quibus Hieronymi pectus usque
ad cineres æstuabat, non poterant amplius in
vnius angustis ciuitatis finibus coerceri; quin
in continentem egressi mediterræa quoque
suo cœlesti incendio corriperent. Itaque maio-
ra animo complexus expeditionem parat in fi-
nitimas ciuitates. Quâcumque illum rapiunt
cœlestis charitatis ardores; se se ultrò illi ad-
glomerant nobilium manipuli: agmen crescit
eundem nouæ, ac nouæ subinde cohortes ad Emilia-
na signa concurrunt: longum ponè trahit
patriciorum comitum; quorum, ijs in re-
bus, quibus ipse præsidere non posset, strenuæ
operæ vicariam fidem sufficiat. Ac veluti no-
cturna flamma, quæ facem dicens multa cum
luce, & fulgore decurrit; ubique monumenta
pietatis, religiose mentis exempla, ac probi-
tatis vestigia relinquit. Nam inopum perfu-
gia, egentium puerorum domicilia, in quibus
orbata parentibus soboles aleretur; in pluribus
Italiæ vrbbis, authore Hieronymo, condita
sunt. Sed nunquam gloriösiori pugna cum ho-
ste conflixit; aut acerbiori bello dæmonem per-
sequutus est; quam cum illum in suo ipsius re-
gno debellaturus inuasit. Nihil veritus est oli-

das luxuriantis Veneris ædes, prostantium mulierum fœdissimos fornices ingredi, ut illas Phrenes, ac Taides prostituti pudoris, ac vulgati corporis meretriculas ab illo probro, ceno, ac fôrdibus euocaret. Extudit quam plurimas ex inferni faucibus Abigei: plures Pelagiæ vitæ sanctitate doctore Hieronymo claruerunt. Primus in Italia laudabili instituto extinxit publicæ Veneris faces: primus posuit poenitentium pellicum tecta: quid plura? primus tepentem iam, ac sopitam prorsus, immò frigescientem omnem pietatis flaminam accedit ignibus illis, quos sine fabuloso Promethei furto à sempiterno hauserat sole. Verum non adeò dæmonem totis belli viribus vrget; quin aliquando sit illi etiam cum perditorum furore bellandum. Etenim nescio quis audax de Lentuli ludo Myrmilio cum illo collato pede congregitur. Procibus contumelijs abundè lacerato se illi barbam depilaturum minatur. Discite nouam, non de lanistarum schola petitam, sed de cœlo acceptam conficiendi aduersarij rationem: vtrò illi mentum exhibit vellicandum. Subito illa gladiatoria feritas stupuit, impudensque sicarij obmutuit audacia, ac celeri se inde fuga victa temeritas Thrasonis abripuit.

*Verbis ira minacibus
Augetur, velut addito*

Ignis

Ignis fomite: mitibus
Subsidit furor: aneo
Mens pacata potentius
Thorace icibus obstitit.
Miti nil aciem magis
Obtundit chalybum, sue
Ira, qui patiens fuit.

Imperatorium obeuntem munus, dacentemque ordines Hieronymum mirati estis, Auditores, nunc in scena plebeium eundem, & humilem profero vespillonem. Post funestissimos bellorum turbines, quibus tota Italia concussa supremum timuit fatum: aliae duæ omni marte fœdiores clades nihil reliqui miseris fecere mortalibus: quod belli flamma non hausit, hæ duæ cruentissimæ rapuere lanienæ. Eruperat in mortaliū scelera, è specubus inferorum dirissima lues: corruptoque totius Italæ tractu, vitiatoque cœlo, per omnes ciuium ordines virus latè serpebat. Nati inter stupentium, nimio dolore; parentum amplexus: patres inter charissimorum pignorum suspiria, & genitus cadebant exanimis: omnes urbis regiones senum, ac inuenitum promiscua funera ciuibus viduabant: viæ, compita cadaverum aggeribus sepiebantur: insolito horrore squalebat ciuitas viuientia. En nouus Tobias, quos ob multitudinem à publicis Nosocomijs exclusos, vicis

expositos violentia extinxerat luis, strenue sublatos in humeros efferebat. Fatiscebant sub cadauerum pondere Hieronymo vires: sudabat nobilis sub horrentium sarcinarum vextatione vespillo. Quid agis, Hieronyme, igitur te vilem exercere libitinam, Sandapilarij occupare penfa non pudet? nihil ne te familiæ splendor, nihil tuæ iactura dignitatis, nihil damna nepotum, nihil affinium indignatio, nihil domesticorum querelæ à tam humili incæpto deterrent? Te sibilis, fannis, clamoribus veluti desipientem ciues excipient; te insanum inclamabunt vniuersi. Sed hoc est peculiare in Christi castris merentium insigne, hæc prima nota, & tessera probitatis, vt Diui proceres cum pri-
mum pietatis vestibulum ingrediuntur, infani maligna rerum æstimatione putentur. Sed san-
nè quot effert cadauera, tot sibi præferet ce-
lum ineunti fercula triumphalia; immo alijs
super alia iniectis cadaueribus, sibi felicius gra-
dus struet in cœlum, quam montium aggeribus
commentitia gigantum audacia sidera tenta-
uerat expugnare. Ite nunc, vt libet, Affines, &
dementem vocate, illudite, ciues, irridete san-
niones: quem nunc ludibrio habetis, mox inter
Indigetum ordines hæc vilia opera centuria-
bunt; ac immortalitate, cœloque donatus suos
damnabit supplices votis. Præclarum sanè opus
pietatis tot fluentia tabo extulisse cadauera,
tot

tot vaga ossa tumulis ingessisse; sed nutantia fame, & vix suo vestigio harentia inopum cor-
pora, ne abirent in cineres, immaturoque fato
raperentur, sularum profusione opum fulciunis-
se, longè clarissimum. Non minorem mortali-
um numerum annonæ caritas abstulit, quam
diritas pestis. Misérabilis vbiique fame pereun-
tium facies, egenorum corpora macie conse-
cta, illuuiæ horrida, fœda cute ferdentia, oculis
introrsum actis, dentibus exertis, iacebant pas-
sim prostrata in vijs, prætereuntium opem vel
solo aspectu poscentia. Quid Hieronymum in
tam calamitoso miserorum articulo fecisse pu-
tatis. Auditores? Horrea primum reserrissima;
ingentem deinde pecuniarum modum, quas
domi congestas, quas in nominibus habebat
prorsus omnes alienis egenis, & vestiendis ef-
fudit: adeò, vt etiam Zonam solidi bullis argen-
ti phrigio opere phaleratam roganti pauperi,
cum nulla alia pecunia suppeteret, erogauerit.
Credo eo cingulo vincitum è cœlo traxisse Nu-
men, verius quam ridendo illo aurea cathena
commento Deos, Deasque omnes è sideribus
detrahentis.

Sic tuto petimus sidera cursu:
Et magno facimus grata Tonanti;
Scandit de superis nullus in axes;
Nec quisquam meruit dives olympum;

*Ni qui præcipiti largior imbre
 Profundit tenui munera turbæ :
 Aurum nec tenebris damnat auarus ;
 Nec clause pretijs incubat arce .
 Felix, qui manibus condidit auris ,
 Argentique inopum pondera cœlo .
 Mutat fideribus munera pauper .
 Ac cœli referat limina pauper .*

Egregiè sanè se exhibuit Vespillonem ; nunc à sandapila solitarium , in aspero secessu vitam pauperrimè tolerantem in scenam reduco . Etenim ne dum tantopere de aliorum salute laborat , negliget suam ; adiulat in inuios asperrimæ rupis horrores ; in incessas specus latebras , inhospita dicam tessa , vbi humanarum rerum nullæ animum curæ sollicitent ; sed tacitos ire dies sinat ; quò expeditiori volatu mens libera se rebus diuinis insinuet ; & superum confuetudine perfruatur . Ibi inedia macerat senile corpus ; in subiecto stramento , sèpissimè super durissima caute sub dio , cum omnia circum gelu rigerent , multa nitie cadente , decumbit : scilicet , vt quæ fulmina in Æthnæis cæminis venereo igne lasciui Cyclopes temperant Tonanti ; in illis algidis saxorum latebris , vel irato extorqueret , vel casto rigore frigesacta retundere . Non miror , Hieronyme , si illa arida rupes tuis mollita precibus tibi sificant fluxerit aquis ;

cum

cum tuarum largos sèpe rôres imbiberit la- chrymarum .

Id àtatis erat Hieronymus , vt ei iam sene- scenti eset omnino à laboribus quiescendum : sed audite , quoſo , cadenti àtati datam quietem . Ingeminat verbera , sicut in seipsum fla- gris dirissimè , si quando alias ; fracta cutis san- guine rorat : ostiatim per pagos , & vicos , lineis manticis ex humeris hinc indè pendentibus , mucida panis frusta mendicat ; quibus domesti- cos aleret pauperum greges . At hoc minus for- tasse laboriosum : inter abiectissimas verò ope- ras , cum ardentissimi soles æstiuusque vapor omnia intolerabilis coquit : aristas falce illum messuisse , quis crederet ? & cum se se diurno la- bore fregisset , suas ad salebras iterum , notaque diuerticula arrepebat ; vt ibi emaciatum labo- ribus corpus aperiori castigatione tenuaret . Sed cessà iam , Hieronyme , cessà , quiesce tanti- sper , ne te alimentorum familiæ vrgeat cura ; exigua Ceres in tuo sinu veluti in præpingui , ac vberi solo multas crescat in messe ; violatoque naturæ ordine , vites vuis verno tempore , te- precante , gemmascent : omnia in expedito tuis iussibus erunt .

Tui te igitur misereat aliquando . En tibi re- feratis poltibus cœli àterna penetralia pandun- tur : en glorioſa de triplici triumphato hoste trophæa tuis vernis in domicilijs cælestibus osten-

ostentantur: en fulgida sedes, sellæ curules, aureum solium in superis te sessurum expectat: en adorea, laurea tibi triumphatuero Imperatori frontem ornatura contexitur. Quid te frustra amplius excrucias? Sed, vt aiebat ille suadenti, vt iam senex a laboribus requiesceret, non oppertere iam metæ vicinum cursum remittere, sed magis intendere; pleniori gradu, velociori cursu, ardenteri voluntate cælestem festinabat ad metam. Sed curre, matura, aduola, ad parata tuis laboribus, tuis victorijs,

& pietati præmia capienda: & nos quoque, qui in tua adolescimus fide,

& litteris imbuimur clientela,
manipularesque tuos, qui

te sequuntur ante-

signatum,

vbique,

& semper tuis
precibus
tueare.

**



AD

AD CLEMENTEM OCTAVVM

Pontificem Maximum

ORATIO DECIMATERTIA.

666666 Aceret o utinam Deus, vt regio sublimis in solio Clemens Octavius F me de suis laudibus perorantem audiret; sicuti nunc exanimis illius alloqui cineres, magnæque animæ inferias dare mea oratione compellor. Sed quo meis inanibus votis obliquus abripiōr? Vel illa Pontificia maiestas suis honoribus, ac suprema gloria contenta meas tam alto minores fastigio laudes, vel prorsus respueret, vel fastidiret; vel augustissimi terrarum Principis aspectus fulgore perterritus in ipso vestibulo orationis hærerem. Satius est igitur longè a nobis inter diuos agentem laudare; quando nec orantem potest terrere maiestas; nec fastidiosa oblatas laudes recusare præsentia. Velem tamen, si ad mortalium conuentus e supernis euocati domicilijs possint Indigetes deuolare; mihi inclytus dicenti spiritus Clementis aderet; quo nostra laudantium vocis obsequia, quæ sibi viuenti a nobis exhiberi ipsius moderatione prohibuit; a nostris aspectibus fugiens qualcumque sentiret. Mortis itaque leges av dax